

359

357

363

353

368

348

408

308

458

258

offendit. In una parte ecclesiae extra murum est cisterna magna, optimas habens aquas, pro custodibus templi. Et ab alia parte est etiam exitus in quandam curiam non tecto opertam, et altis muris circumdatam, in qua sunt loca honesta ad opus naturae agendum. Haec ecclesia habet annexam turrim altam, de albo lapide marmoris erectam, in qua olim pendebant campanae, quarum ligna et trabes adhuc videntur superius, in quibus pependerunt. Sed perdita Hierosolyma campanas omnes dejecerunt, non enim sustinent campanas pagani de ritu Machometi, quia in Alcorano eorum praeceptum habent, quod non utantur campanis ad Dei servitium, nec sustineant. Et tamen dicitur, quod libenter pulsum earum audiant. Sed solum ideo non habent, ne nobis essent conformes. Quod maledictus Machometus ubique praecavit.

Haec turris prima apparet ante omnia, venienti de Bethania in Jerusalem, sicut saepe consideravi. Limen super ecclesiae ostium est de candidissimo marmore, et ab extra est sculptum imaginibus de ingressu Domini super asinam in Jerusalem; et de illo, quomodo ementes et vendentes ejecit de templo; et de resuscitatione Lazari. Veruntamen imagines sunt violenter destructae, et mutilatae membris. Super ecclesiae valvas fuerunt haec metra inscripta lapidibus, quae tamen ego videre non potui:

Anno milleno centeno quo minus uno,
Quindecies Nilo jam phoebi lumine tacto,
Vitae plus sacrae studio quam mitigare acre,
Jerusalem Franci capiunt virtute potenti.

Columnae marmoreae pretiosissimae stant in atrio templi, sustentantes limen, et porticum ornantes. Si quis autem cupit videre formam hujus templi, videat peregrinale magnifici domini et ingenui viri, Domini Bernhardi de Braitenbach, ecclesiae metropolitanae moguntinensis decani, et ibi depictam ejus effigiem adeo clare intuebitur, ac si in atrio ecclesiae staret et videret,

Ende

Anfang

